

1501 qui piraticam multos annos exercuerat, plurimaque  
damna Venetis hominibus intulerat; quod ex Africa ve-  
niens naufragium ad insulam fecerat, captus a Meliis in  
custodia tum erat. Id simul est Pisauro nunciatum, Eri-  
cum ad se adduci imperavit; propterea que quod is aliquot  
ante annos civem Venetum Ambrosium Contarenum Fran-  
cisci filium, cum quo mercaturæ societatem inierat, nihil  
ab eo metuentem, cum ejus navi per infidias contra juris-  
jurandi religionem, apud Thessalonican a se captum igni  
excruciatum necaverat, vivum comburi jussit. Hæc dum

1502 *Lauridanus Princeps legem fert de magistratum stipendiis.*  
foris administrantur, domi, quod pecunia publice deerat,  
Senatus decrevit, uti quam ipse legem prius, deinde co-  
mitia hujus belli initio jufferant, ut magistratus omnes  
provinciales atque urbani medium stipendiorum partem  
reipublicæ remitterent, ea in annum unum prorogaretur.  
Itaque primis anni diebus cum in comitio Lauridanus,  
qui illi assident sex viri, & quadraginta virum magi-  
stri eam legem pronunciavissent, Joannes Antonius Mi-  
nius, civis in dicendo satis audax, qui omnem suam æta-  
tem, erat enim jam senex, causis agendis in privatorum  
patrocinio consumpserat, ejusmodi concionem habuit.

*Jo. Antonii Minii concio adversus eam legem.*  
Non ignoro cives magnam me rem, & multorum invi-  
dæ propositam suscepisse, qui sim contra Senatus præjudi-  
cia, contra magistratum voluntatem, pro vestris commo-  
dis & vestra incolumente libere, quæ sentio, dicturus:  
neque dubito, quin me plerique arroganter facere existi-  
ment, quod ea quæ Patres conscripti jampridem jufferunt;  
vosque ipsi rata esse voluistis, nunc Patribus iterum juben-  
tibus, ego unus, tanquam plus omnibus provideam, impro-  
baturus surrexerim. Sed me prestat omnem invidiæ aleam  
atque pericula subire, dum vos decipi, & reipublicæ mu-  
neribus spoliari, quoad potero, non patiar. Legem hoc bel-  
lo, quod cum rege Thrasio gerimus, in Senatu latam,  
vestris sententiis sancitam, præteritis expletam mensibus,  
prorogare Patres decreverunt: uti magistratus omnes, qui  
per nos creantur, medium stipendii partem annum repu-  
blicæ remittant. itaque Senatu approbante ad vos ve-  
niunt;